versarii intereſsentia debita, inter præsentes et Anniversario interesſentes diſmembranda, non debere gaudere sciat. Qui enim onus sponte susceptum supportare recusat, emolumento ex illo provenienti privari debet. c. Licet et ibi DD. de Vot. et vot. redempt.

STATUTUM VIII.

De Custodia et Clausura Collegii.

Quia Domus sua unicuiq; debet eſse tutiſsimum receptaculum. l. Pleriq. ff. de In jus vocan. Ideo statuimus ut Clariſsimus Dominus Præpositus pro tempore existens Tertianum seriò moneat et negligentem suo modo adigat, quatenus continuò ne damnum aliquod Clariſsimorum Profeſsorum per ejus negligentiam et divagationem patiatur, ingredientes et egredientes de Collegio observando, invigilet, illud nocte adveniente claudat ita tamen, ut si aliquem Profeſsorem, etiam in negotio proprio diutiùs morari contingat, eundem expectare teneatur et sit adstrictus, nihilominus Clariſsimus Profeſsor sæpiùs et absq; causa rationabili diutiùs extra Collegium ne moretur, si secus fecerit per Dominum Præpositum primò moneatur, ac demum (maximè si sit aliqua de ipso suspicio) per Officium Domûs juxta Statuta inferiùs descripta puniatur. Honesti enim Viri debent eſse in omnibus suis nocte adveniente. DD. in l. 2. §. Et quia Magistratibus. ff. de Origin. Juris et colligitur ex l. Hoc edictum. §. Labeo. ff. de His, qui dejecerint vel effugerint.

STATUTUM IX.

De Rationibus per Clariſsimum Ex præpositum faciendis.

Quoniam ex Officio suo et administratione sibi commiſsa calculum et rationem per Authen. de Sanctiſs. Episcop. §. Oeconomo cum di-

cum diligentia bonæ fidei conjuncta. l. Si ita. ff. de Manumiſs. testamen. absq; omni dolo. l. Thais. §. Stichus. ff. de Fideicommiſsar. libertat. integrè apertè et dilucidè d. l. Si ita. et l. Qui filium. ff. de Manumiſs. testamen. reddere teneatur. Ideo statuimus, ut statim post electionem Præpositi et Consiliariorum ejus, Clariſsimus Expræpositus de expensis et perceptis generaliter omnibus sub pœna Marcarum Quinque faciat calculum et Quietationem seu clariùs subscriptionem suorum Regestrorum à Clariſsimo Præsidente Convocationis, seu illo, cui id per Convocationem Domûs committetur, obtineat, liberq; pronuntietur. Calculus enim ritè et legitimè redditus, rationes distrahit. tot. tit. ff. de Tutel. et rationib. distrahen. et ab obligatione instar transactionis liberat. l. Si purè. ff. de Fideicomiſsar. libertatib. et l. Emptor. §. Lucius. ff. de Pactis.

STATUTUM X.

De qualitate Profeſsoris ad Collegium vocandi.

Cùm discere quisq; prius debeat, antequam alios doceat. can. Non negamus. dist. 61. Ideo statuimus nullum ad Collegium vocari debere, nisi illum, qui in lectura benè exercitatus fuerit Juridicasq; lectiones diligenter sub Clariſsimis Doctoribus et Profeſsoribus Utriusq; Juris exaudiverit et super hoc fidele veritatis testimonium ab illis habuerit. Absurdum enim foret aliquem priùs velle docere, quàm discere. can. Si officia. dist. 59.

STATUTUM XI.

De Recommendatione Profeſsoris vocandi.

Quamvis Profeſsorum ad hoc Collegium vocatio ex antiqua consvetudine ad Universitatem pertineat, tamen Præpositus Collegii pro tempore existens inhærendo antiquæ et ra-